

# I.

## **Levoldi a Northoff** *Cronica pontificum Coloniensium.*

1350.

Die nachstehende Chronik der kölnischen Erzbischöfe von Lewold v. Northoff wurde zuerst gedruckt, in Meibom script. rerum Germ. II. 4. Dieselbe ist sichtlich nach dem Catalogus archiepiscoporum Coloniensium des Cäsarius v. Heisterbach gearbeitet, jedoch von Erzbischof Heinrich I. († 1237) bis auf Erzbischof Wilhelm († 1362) fortgesetzt und daher mit jener in Böhmer Fontes rer. germ. II. 271 u. 282 wieder abgedruckt worden. Wie der Herausgeber in der Vorrede selbst sagt, hat jedoch, in Ermangelung einer Handschrift, bei diesem zweiten Abdrucke, der alte fehlerhafte Meibom'sche wieder zum Grunde gelegt werden müssen. Es schien daher angemessen, den Lesern unserer Quellen hier einen dritten, nach einer Handschrift des 15. Jahrhund. zu bieten, die viele bessere Lesarten enthält, als der Abdruck bei Meibom. Dieselbe befindet sich in einem Codex der Königl. Bibliothek zu Berlin (M. S. Borussica, quarto N. 169) mit dem äuferen Titel: Chronica varia sæc. XV. Das neugebundene Buch hat auf dem ersten Blatte folgende Inhalts-Anzeige: Continentur in isto libro plures cronice, videlicet: 1) Cronica summorum pontificum brevis fol. 1. — 2) Cronica imperatorum romanorum brevis fol. xxi. — 3) Cronica pontificum Leodiensium brevis fol. xlxi. — 4) de ordine et numero cardi-

naliū summo pontifici seruientium fol. lxv. — 5) alia cronica summorum pontificum breuis fol. lxvi. — 6) de genealogia, successione ac rebus gestis comitum et postea ducum Clivencium fol. cxxii. — 7) Cronica pontificum coloniens. breuis fol. clii. — 8) Cronica et origo comitum Markencium fol. clxx. Das Stück N. 7 ist unsere Chronik.

Am Schluße derselben sind mehrere Blätter zu Nachträgen unbeschrieben geblieben und dazu auch benutzt worden. Diese reichen bis 1558, beschränken sich aber auf eine trockene Nomenclatur der bis dahin verstorbenen kölnischen Erzbischöfe, weshalb es nicht der Mühe werth schien, sie mit abdrucken zu lassen. Die wesentlichsten Abweichungen des Meibom'schen Abdrucks, sind in den Noten angegeben.

Post hec,<sup>1)</sup> quia pauci sunt, credo, in terra Clivensi<sup>2)</sup> et Markensi, qui habent<sup>3)</sup> aliqua scripta de gestis et temporibus archiepiscoporum Coloniensium qui fuerunt pro tempore, idcirco pro hiis,<sup>4)</sup> qui libenter multa et diuersa legendo degustant, ea que de predictorum archiepiscoporum Coloniensium gestis et temporibus scripta inueni, duxi hic scribenda, eo stilo<sup>5)</sup> quo ea reperi, nichil addendo uel aliquid minutando.<sup>6)</sup>

Apud Agripinam nobilem ciuitatem Gallie, primus adeptus est episcopatum sanctus Maternus, Treuerorum et Tongerorum pariter episcopus, anno domini XCIII Domitiano imperatore regnante, seditque annis XL et obiit Colonie sub Adriano imperatore anno domini CXXVIII.<sup>7)</sup> Conuenientibus autem Treuerensibus et Tongerensibus vna cum Coloniensibus, orta est lis inter eos,<sup>8)</sup> ubi condidus<sup>9)</sup> esset, diuinoque monitu in nauim positus, in locum qui Rodenkirchen appellatur, contra currentem Reni fluuium, miraculose dirigitur, ibique a Treuerensibus susceptus, cum sanctis Eu-

<sup>1)</sup> Post hec fehlt bei Meibom. — <sup>2)</sup> Clivensi fehlt bei M. — <sup>3)</sup> habeant M. — <sup>4)</sup> iis M. — <sup>5)</sup> tenore M. — <sup>6)</sup> immutando M. wo hierauf erst folgender Reimvers folgt: Pontificum gesta, brevitate profatur honesta \* Urbis Agrippinæ, decreto singula fine. — <sup>7)</sup> CXXIX. M. — <sup>8)</sup> condidus. M. — <sup>9)</sup> inter eos fehlt bei M.

chario<sup>10)</sup> et Valerio suis<sup>11)</sup> sociis, Treueri honorifice sepe- litur, qui Treuerim est delatus jussu angelico. Deinde usque ad Effratam hereticum, nullus Coloniensi ecclesie prefuisse inuenitur. Quiquidem Effrata<sup>12)</sup> in cathalogo pontificum Coloniensium non ponitur, quia heresim arrianam fouebat; propter quam etiam, a pluribus Gallie et Germanie epis- copis,<sup>13)</sup> est depositus in concilio Agrippinensi, anno domini CCCXLVI<sup>14)</sup> sub Julio papa.

Secundo ergo loco<sup>15)</sup> sanctus Seuerinus substitutus reperitur<sup>16)</sup> episcopus. A Materno autem usque<sup>17)</sup> ad sanctum Seuerinum computantur anni CCC. Quare autem idem episcopatus tanto temporis intersticio vacauit,<sup>18)</sup> varie habentur conjecture, videlicet quod in paganismum gens fuerat<sup>19)</sup> relapsa, aut si qui fuerint episcopi, ob persecuti- onis seuitiam latenter prefuerunt,<sup>20)</sup> vel certe, sicut beatus Maternus et successores ejus,<sup>21)</sup> Treuerensem sic et Coloniensem ecclesiam regebant. De quibus opinionibus, quia nichil certi<sup>22)</sup> inuenitur, prudens lector aduertat, quid re- putet admittendum.

Tertio loco successit beatus Euergislus<sup>23)</sup> sancti Seuerini discipulus, qui in transitu sanctissimi Martini<sup>24)</sup> ymnum angelicum cum ipso magistro audiuit. Hic postea apud Tongeren, que et Octavia dicitur, martirizatus est.

Quarto loco successit Solatius.

Quinto loco Symoneus.

Sexto Remedius.<sup>25)</sup>

Septimo sanctus Kunibertus, qui sedit annis XL. Hic fuit temporibus Eraclii imperatoris et ejus filii Constantini, sub Francorum rege Dagoberto primo<sup>26)</sup> et ejus filio Sygebero.

Octauus fuit Rotaldus<sup>27)</sup> sub Sygiberto.

<sup>10)</sup> Eucherio. M. — <sup>11)</sup> suis fehlt bei M. — <sup>12)</sup> Effrata fehlt bei M. — <sup>13)</sup> a pluribus — episopis fehlt bei M. — <sup>14)</sup> bei M. DCCXLVII, was offenbar unrichtig ist, weil 747 der h. Agilolf regierte. — <sup>15)</sup> loco fehlt bei M. — <sup>16)</sup> repertus. M. — <sup>17)</sup> usque fehlt bei M. — <sup>18)</sup> vacaverit. M. — <sup>19)</sup> fuerit. M. — <sup>20)</sup> fuerint. M. — <sup>21)</sup> ejus fehlt bei M. — <sup>22)</sup> certo. M. — <sup>23)</sup> Trigistus. M. — <sup>24)</sup> Materni. M. Vergl. oben S. 168 u. Cæsarius bei Böhmer fontes II, 272. — <sup>25)</sup> sexto loco Remedius, M. — <sup>26)</sup> primo fehlt bei M. — <sup>27)</sup> Bocadius. M.

Nonus Stephanus sub Theoderico rege Francorum primo.

Decimus Adewicus sub eodem.

Vndecimus Giso sub Clodoueo rege tertio et sub Hildeberto secundo.

Duodecimus Anno sub Francorum rege Dagoberto secundo. Hic sepultus est apud sanctum Seuerinum Colonie.

Tertius decimus Faramundus sub eodem.

Quartus decimus sanctus Agilolphus<sup>28)</sup> sub Francorum rege Hilderico. Hunc misit Karolus major auus Karoli magni, contra impugnatores regni, causa pacis, a quibus crudeliter peremptus, martirio est coronatus et multis clavuit miraculis.

Quintus decimus Reinfridus sub Theoderico secundo<sup>29)</sup> et Hilderico secundo.

Sextus decimus Hildegerus. Hic cum<sup>30)</sup> Pippino rege, patre Karoli magni, ad bellum contra Saxones profectus, occisus est in monte qui dicitur Viborch.

Septimus decimus Bertholinus sub eodem Pippino sedit annis decem.

Octauus decimus Ricalphus sedit sub Karolo magno XXII annis.

Nonus decimus Hildebaldus sub eodem Karolo magno et rege Lodewico sedit annis XXXIII; qui et eundem Lodewicum vnxit in regem.

Vicesimus Harabaldus<sup>31)</sup> qui sub Lodewico filio Karoli sedit annis XXII.

Vicesimus primus Guntherus sedit sub Lodewico superioris Lodewici filio. Hic Lodewicus imperator, filius Karoli, habuit filium nomine Lotharium, cui Italia regnum commisit. Qui Lotharius diuino amore succensus<sup>32)</sup> regnum reliquit filio suo Lothario et Promie monachum se fecit. Iste Lotharius, filius Lotharii, habuit concubinam nomine Waldradam,<sup>33)</sup> Guntheri predicti<sup>34)</sup> episcopi sororem, quam instinctu prefati episcopi Coloniensis, vxori sue Theberge

<sup>28)</sup> Agiolfus M. — <sup>29)</sup> sexto. M. — <sup>30)</sup> sub. M. — <sup>31)</sup> Hagelbridus, M. — <sup>32)</sup> accensus, M. — <sup>33)</sup> Walburgam, M. — <sup>34)</sup> pred. fehlt bei M.

superduxit.<sup>35)</sup> Ob quam causam idem Guntherus a papa excommunicatus est et penitentia ductus, Romam veniens, minime reconciliari valuit.<sup>36)</sup> Fertur autem diuinum officium iterum sibi usurpasse contumaciter et propter hoc apud Xanctis ab angelo,<sup>37)</sup> sacris vestibus exutis,<sup>38)</sup> ante altare occisus est.

Vicesimus secundus Willibertus<sup>39)</sup> sub Karolo minore sedit annis XX. Hic ecclesiam sancti Petri Coloniensem dedicauit, in qua et sepultus est.

Vicesimus tertius Hermannus, quem pium vocant, sub Arnulpho, Lodewico et Conrado imperatoribus sedit annis XXXV et defunctus est in domo sancti Petri.

Vicesimus quartus Wilfridus<sup>40)</sup> sub Henrico primo sedit annis XXIII.

Vicesimus quintus Bruno sub Ottone primo, ipsius fratre, sedit annis XII. qui dilectus Deo et hominibus, fortis in bello, magnus in pontificibus, quasi sol refusit in ecclesia Coloniensi, in conspectu regum et principum magnificatus. Nam imperatore fratre suo, in Italia pro disponenda republica moram faciente, Gallie et Germanie tutelam et procurationem suscipiens, eandem prudenter ac strenue administrabat,<sup>41)</sup> insurgentes hostes reprimens, discordias pacificans, paci potissime subditorum inuigilans ac saluti.<sup>42)</sup> Vnde ducem Lotharingie, que a Reno usque Mosam exten-dit, rebellantem cepit. Cui imperator reuersus ipsum duca-tum ei abstulit et dicto fratri suo Coloniensi archiepiscopo, ob suam petitionem et magnificentiam, suisque successoribus, archiepiscopis Coloniensibus, in perpetuum concessit. Cujus archiepiscopi prudentiam et gesta preclara,<sup>43)</sup> videlicet qualiter et ob quam causam castrum Tuiciense effregerit, pontem trans Reni alueum postmodum dejecerit, Francos bello ex-pertos fugauerit, preterea quantum domus Dei decorum<sup>44)</sup>

<sup>35)</sup> superinduxit, M. — <sup>36)</sup> reconciliari voluit, M. — <sup>37)</sup> angelis, M. — <sup>38)</sup> exutus, M. — <sup>39)</sup> Willibertus, M. — <sup>40)</sup> Wifridus, M. — <sup>41)</sup> administravit, M. — <sup>42)</sup> Der folgende Satz: Unde — concessit, fehlt bei M. — <sup>43)</sup> Das Folgende: videlicet — preterea fehlt bei M. wo es fürzer heißt: preclara quæ fecerit et quandum domus dei. — <sup>44)</sup> nitorem, M.

et sanctorum venerationem in monasteriorum quorundam amplificatione vel reparatione dilexerit, licet scripta exinde confecta et existentia non panderent, nichilominus vasalli et ministeriales ecclesie Coloniensis, temporali jurisdictione per eum abjecti, (ea) passim memorantes a generatione in generationem non tacebunt. Hic corpora reliquiarum sanctorum studiose ubicunque collegit; qui<sup>45)</sup> imperatore, fratre ipsius, Italianam intrante,<sup>46)</sup> Galliarum procuratione sibi delegata,<sup>47)</sup> terram usque quaque a latrociniis purgans, Francis rebellantibus<sup>48)</sup> bellum intulit, Parisius urbem obsidens rupit et spoliauit. Duce Lotharingie<sup>49)</sup> terram incendiis infestantem, cepit et vinculis injectum, fratris affuturo judicio reseruauit. Reuerso itaque<sup>50)</sup> solem pni principum habito colloquio, id omni pariter sanctum est concilio, ut deuicti ducis monarchia, presuli Coloniensi, suisque successoribus, vsu et jure cedat perpetuo, anno ab incarnatione domini CCCC<sup>0</sup>.III<sup>0</sup>. sic quod duces et presules nominentur et sint<sup>51)</sup> judicentque cum gladio, qui prius vnco vtebantur baculo. Tuitiense etiam castrum ut premittitur<sup>52)</sup> propter rebelles confregit, pontem et porticum trans Reni alueum dejecit, quoniam latrones transrenenses ruriolas de foro Coloniensi negotiandi causa de vespere redeuntes ibi in ipso ponte (cum) rebus et vita in Renum projicere consueuerant,<sup>53)</sup> (sceleris) sui sigillum noctem habentes, equissima ratione actus, liberrime dejecit. Baculum sancti Petri a Treuerensibus persecutionis tempore cum aliis reliquiis olim Metensibus commissum et Treuerensibus repetentibus negatum, cum cathena ejusdem apostoli a domino papa sibi tradita, necnon et Gregorium Spoletanum<sup>54)</sup> (Coloniae) intulit et principali sue sedis ecclesie, videlicet beati Petri contra-

<sup>45)</sup> qui fehlt bei M. — <sup>46)</sup> in Italiam eunte, M. — <sup>47)</sup> Galliarumque ut pramittitur procuratione sibi demandata, M. — <sup>48)</sup> rebellantibus fehlt bei M. — <sup>49)</sup> quo a Rheno ad Mosam exten- ditur rebellantem, M. — <sup>50)</sup> Quo reverso, M. — <sup>51)</sup> et sint fehlt bei M. — <sup>52)</sup> ut premittitur fehlt bei M. — <sup>53)</sup> Das Folgende, bis an den Satz: baculum fehlt bei M. Die Sätze von a.o. dñi. CCCC<sup>0</sup>III bis baculum, sind in der Handschrift etwas verworren nacheinander geschrieben. Im Texte ist die richtige Auseinanderfolge hergestellt. — <sup>54)</sup> spoliatum, M.

dedit, quam etiam ecclesiam decenter vna abside in ulroque latere ampliauit. Corpus etiam beati Euergisli ad sanctam Ceciliam Coloniensem reduxit, beatum Eliphium<sup>55)</sup> monasterio sancti Martini dedit et sanctum Patroclum gloriose intulit Susatum, monasterio etiam et claustro, ibidem fundato, multa legans. Iste etiam monasterium sancti Panthaleonis in Colonia fundauit, prediis et possessionibus ditauit,<sup>56)</sup> ossibus suis a Remensi ciuitate, in qua obiit, honorifice Coloniam reportatis, vbi tumulatus requiescit.<sup>57)</sup> Congregationem in diocesi Coloniensi suis temporibus existentem, sue largitionis reliquiis expertam, prout testamentum quod in multis ecclesiis habetur explanat.<sup>58)</sup>

Vicesimus sextus Foremarlis<sup>59)</sup> sub eodem Ottone sedit annis tribus.

Vicesimus septimus Gero, vir valde religiosus, sub eodem Ottone et ejus filio sedit annis septem, qui abbatiam sancti Viti in Gladbach instituit, in domo beati Petri requiescit.

Vicesimus octauus Warinus sub Ottone secundo sedit annis nouem. Hic Treuerensibus petentibus, partem baculi sancti Petri reddidit.

Vicesimus nonus Eversgerus<sup>60)</sup> de quo dicitur, quod predictum Warinum viuum sepeliri fecit.<sup>61)</sup> Laborabat enim Warinus infirmitate capitis, ita ut aliquibus diebus sine sensu jaceret. Pro<sup>62)</sup> quo facto Romam penitens peruenit, propter<sup>63)</sup> quod egerat confessus est (pape) qui<sup>64)</sup> pro correctione ei injunxit, si quam in sua diocesi congregationem<sup>65)</sup> labefactam sciret, datis subsidiis reueuaret. Reuer-

<sup>55)</sup> Elichium, M. — <sup>56)</sup> abermals fundavit bei M. mit dem Zusatz: in quo et sepultus quiescit. — <sup>57)</sup> ubi tumulatus requiescit fehlt bei M. so wie der ganze folgende Satz. — <sup>58)</sup> Hier folgt wiederholte: Etiam et baculum s. Petri etc. mit dem Schlusse: Iste cenob. s. Panthal. instituit, in quo et sepultus requiescit, welches wir als überflüssig weggelassen haben. — <sup>59)</sup> Volemarus, M. — <sup>60)</sup> Evergherus, M. — <sup>61)</sup> Andere Chronisten berichten, daß dieses Unglück seinem Vorfahr Warin, mit dessen Vorgänger Gero überfahren sei. Cronica presulum et archiepiscoporum Colon. eccles. in den Annalen des historischen Vereins für Geschichte des Niederrheins II. 190. Jac. de Susato Chronicon episcoporum. Colon. Quellen I. p. 173. Mersenus Annal. archiep. Colon. p. 49. Möckens Conatus p. 80. — <sup>62)</sup> Pro fehlt bei M. — <sup>63)</sup> propter fehlt bei M. — <sup>64)</sup> et papa, M. — <sup>65)</sup> congregationem fehlt bei M.

sus itaque<sup>66)</sup> cenobium s. Martini in Colonia meliorauit, fratres illuc adunauit et Schotis<sup>67)</sup> imperpetuum tradidit. Et iste sub Ottone tertio sedit annis XV. In domo sancti Petri sepultus est.

Tricesimus sanctus Heribertus sub Henrico secundo sedit annis XXI. Iste basilicam Tuitii in honorem sancte Marie instituit, ibique sepultus est et multis claruit<sup>68)</sup> miraculis.

Tricesimus primus successit Peregrinus<sup>69)</sup> sub imperatore Conrado secundo sedit annis XV.<sup>70)</sup> qui monasterium in Colonia sanctorum apostolorum construxit, in quo et quiescit et sufficientiam canonicorum adunauit.

Tricesimus secundus Hermannus, quem nobilem vocant, sub Henrico imperatore tertio sedit annis XX. In domo sancti Petri sepultus est.

Tricesimus tertius Anno, flos et noua lux totius Germanie, qui cunctos antecessores suos, in augmentatione Coloniensis ecclesie precessit. Ante episcopatum prepositus erat<sup>71)</sup> in Goslar. In vita sua fecit monasteria et in morte sua operatus est mirabilia; vnde et in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria. Preter innumerabilia beneficia, que episcopio contulit, preter plures ecclesias, quas in diuersis locis construxit, preter quod nullam in diocesi sua congregationem dimisit, quemadmodum dominus Bruno, qui supra nominalus est, et ampliauerit,<sup>72)</sup> quinque congregations, scilicet sancte Marie ad gradus, et sancti Georgii<sup>73)</sup> ecclesiarum canonicos in Colonia, in monte Syberch et Graischaff monachorum monasteria, item vnum monasterium monachorum in Saleuelt magnifice instituit,<sup>74)</sup> allodium quod Saleuelt dicitur episcopio adjecit. Supersedemus de eo singula dicere, quoniam, et si nos taceremus<sup>75)</sup> ipsis opera clamabunt. Floruit temporibus Henrici quarti augusti;

<sup>66)</sup> itaque fehlt bei M. — <sup>67)</sup> Schotis fehlt bei M. — <sup>68)</sup> enituit, M. — <sup>69)</sup> Pelegrinus, M. — <sup>70)</sup> Die Zahl fehlt bei M. — <sup>71)</sup> erat fehlt bei M. — <sup>72)</sup> ampliavit, M. — <sup>73)</sup> Gregorii, M. — <sup>74)</sup> Bei M. gewinnt es nach der Art, wie das Wort ampliavit gestellt worden, den falschen Schein, als ob anno nur Salefels (bei M. Salavel) gestiftet, die anderen vier nur erweitert hätte. — <sup>75)</sup> tacuerimus, M.

sed sit in opiscopatu annis XX cum dimidio et sepultus est in cenobio suo Sybergh, vbi multis claret miraculis.

Tricesimus quartus Hildebrildus,<sup>76)</sup> prefati imperatoris capellanus, sed sit annis XV, in domo s. Petri sepultus est.

Tricesimus quintus, majoris ecclesie decanus, Segewinus de cuius prelatione sanctus (<sup>Anno</sup>) predixerat,<sup>77)</sup> sed sit annis X sub eodem imperatore. In domo sancti Petri<sup>78)</sup> requiescit.

Tricesimus sextus Hermannus, quem diuitem vocant, cuius diuuitie ecclesie Christi profuerunt, sub prefato imperatore successit, seditque annis X et mensibus quinque, sepultus est in capitulo Sybergensi.

Tricesimus septimus Fredericus primus,<sup>79)</sup> vir pulcherrimus et magne constantie, adeo ut nec timeret imperatori resistere, qui magis ad instantiam predicti imperatoris, quam priorum electorum, episcopatum adeptus est. Nam usque ad illud tempus imperatores baculum et annulum tradebant. Hic contra immanem Sueuorum multitudinem et Bauwarorum, parua manu Anderinaci confligens triumphauit. Sedit annis XXXV sub Henrico quarto et quinto imperatoribus, paucos annos Lotharii imperatoris attingens, quem et ipse Coloniae<sup>80)</sup> vnxit in regem vna cum vxore sua Rysa.<sup>81)</sup> Sepultus est in capitulo Sybergensi.

Tricesimus octauus Bruno, prepositus sancti Gereonis, qui, canonica electione priorum et capitaneorum in Godefrido Xantensi preposito cassata, fauore Lotharii regis et malignantium studio,<sup>82)</sup> ad sui ipsius perniciem, intronizatus est. Erat mire facundie et sophistice locutionis, sed caduco morbo laborabat; nam in expeditione italica Lotharium regem comitatus,<sup>83)</sup> apud Barum ciuitatem Apulie, presente imperatore obiit. Cui Hugo decanus sancti Petri successit ibidem et ab Honorio papa consecratus est. Post paucos

<sup>76)</sup> Hildebaldus, M. — <sup>77)</sup> de cuius — predixerat, fehlt bei M. — <sup>78)</sup> sepultus requiescit, M. — <sup>79)</sup> primus fehlt bei M. — <sup>80)</sup> Colonia fehlt bei M. — <sup>81)</sup> Richsa, M. — <sup>82)</sup> studio fehlt bei M. — <sup>83)</sup> In der Handschrift steht, wohl nur durch einen Schreibfehler: inuitatus.

dies spiritum exalauit.<sup>84)</sup> In eadem vrbe cum prefato Brunone tumulatus est.

Tricesimus nonus Arnuldus sancti Andree prepositus sedis annis X sub Conrado rege, qui in principio idoneus visus,<sup>85)</sup> postea cepit vilescere. Tandem apud Eugenium papam de symonia infamatus est et ab officio diuino suspensus. Sepultus est apud sanctum Andream.

Quadragesimus Arnoldus secundus<sup>86)</sup> sancti Petri prepositus et imperii cancellarius, vir probitate compositus et ydoneus, concilio et prudentia violentis resistebat et ecclesie<sup>87)</sup> jura defendebat, cum Frederico imperatore Romam profectus.<sup>88)</sup> Hic sedis annis V sub imperatore Frederico<sup>89)</sup> et in ecclesia Ryndorp,<sup>90)</sup> quam ipse multis ornamentis decorauit, sepultus est.

Quadragesimus primus Fredericus, sancti Georgii<sup>91)</sup> prepositus, filius fratris Brunonis, de quo supra dictum est, qui magis propinquorum factione et juniorum clericorum fauore, episcopatum adeptus est et cassata canonica electione, facta coram Frederico imperatore, in Bonnensem prepositum Gerardum, ab Adriano papa consecratus est. Dicitur etiam quod per symoniam intravit. Ab imperatore apud Nurenbergh<sup>92)</sup> causa ventilata, deinde Ratispone secundo agitata. Ibi idem<sup>93)</sup> Fredericus ab imperatore episcopatum suscepit. Post biennium cum imperatore Mediolanum profectus, apud Tyronum<sup>94)</sup> que et Papia dicitur obiit, vix duobus annis pontificali dignitate potitus. Ossa ejus Colonię delata, in monte sancte Marie, quem patruus suus fundauerat, qui Berge dicitur, condita sunt. Caro ejus et viscera remanserunt in Lombardia.

<sup>84)</sup> Hugo wurde im Mai 1137 consecrirt und † 1. Juli. Er wird daher von anderen Chronisten in der Reihe der cölnischen Erzbischöfe mit aufgeführt. Cronica presulum et Archiepiscop. Colon. ecclesie l. c. II. 196. Jacob. de Susato Chronicorum episcoporum Colon. Quellen I. 177. Merssæus annal. p. 63. Mörkens Conatus p. 106. — <sup>85)</sup> visus fehlt bei M. — <sup>86)</sup> secundus ist in marg. nachgetragen. — <sup>87)</sup> ecclesiastica, M. — <sup>88)</sup> M. fügt hinz: est und läßt das folgende Hic fehlen. — <sup>89)</sup> sub eodem imperatore, M. — <sup>90)</sup> Rohrdorp, M. — <sup>91)</sup> Gregorii, M. — <sup>92)</sup> Nirenberg, M. — <sup>93)</sup> Ibidem, M. — <sup>94)</sup> Ticinum, M.

Quadragesimus secundus Reynoldus, Hildescemensis prepositus et regni cancellarius, vir omni probitate conspicuus, nulli episcoporum Coloniensium<sup>95)</sup> postponendus. Ante episcopatum prepositus fuit in Hildesym, vbi pontem laude dignum et valde necessarium, in palustri transitu construxit. Insuper hospitale pro sustentatione pauperum ibidem instituit. Deinde cancellarius factus est imperatoris Frederici et cum in obsidione Mediolani cum imperatore erat, in pontificem a clero et populo Coloniensi electus est. Post deuictum autem Mediolanum, tres magos, qui infantiam Domini mysticis muneribus venerati sunt, magno labore et periculo Mediolanensibus abstulit et ad perpetuam Germanie gloriam, Coloniam mira instantia<sup>96)</sup> transuexit. Nec hoc sine laude ejus profertur, quod cum adhuc in Italia esset cum imperatore et palatinus<sup>97)</sup> comes Conradus frater imperatoris Frederici<sup>98)</sup> Coloniensem episcopatum ad libitum suum violenter transire et predare<sup>99)</sup> vellet, ipse Reynoldus hoc per nuntios Coloniensis intimans, tantam suo nomine multitudinem apud Andrinacum, tot fortis tot preclaros nobiles,<sup>100)</sup> postremo talem exercitum adunari fecit, qualem nostra memoria ex Theutonicis nunquam in acie constituisse<sup>101)</sup> cognouimus.<sup>102)</sup> Tertia jam expeditione cum imperatore profectus in Italiam, parua manu militum maximas romanis copias<sup>103)</sup> apud Tuscanum prostravit, cepit et fugauit. Multa etiam . . . . . egregie inserenda dignissime per omnem Italiam operatus est. Ipse erat laus, decus et pauor imperatori. Mense vero Augusti pestilentia in exercitum venit, qua et ipse proch dolor! correptus, in assumptione beate Marie obiit, omnibus dilectoribus Coloniensis ecclesie luctum<sup>104)</sup> morte sua relinquens. Fuit in lingua discretus et compitus, litteris sufficienter instructus, animo et vultu imper-

<sup>95)</sup> probitate postpon. M. wo die folgenden Worte: Ante episcopat. bis preposit. fuit, fehlen. — <sup>96)</sup> cum duabus martyribus Nabore et Felice, M. — <sup>97)</sup> Pallantinus, M. — <sup>98)</sup> cum Ludowico Landgravio et Frederico duce Saxonie, M. — <sup>99)</sup> violenter depradari, M. — <sup>100)</sup> viros, M. — <sup>101)</sup> constitisse, M. — <sup>102)</sup> Hier folgt bei M. Unde praefati tyranni perterriti, retro unde venerant, abierunt. s. d. R. 108. — <sup>103)</sup> ad XL millia, M. — <sup>104)</sup> tristitiam, M.

territus, imperio fidelis, Coloniensis ecclesie prouector. Nam et palatum Coloniense magnis sumptibus construxit, duas turres in templo sancti Petri erexit, decem marcas ad agendum Epiphanie festum<sup>105)</sup> instituit; totidem in cena domini ad solarium pauperum addidit, Octauam assumptionis celebrari induxit.<sup>106)</sup> Castellum Ryncke exstrui<sup>107)</sup> fecit pro munimine episcopi. Hiis et aliis ab eo laudabiliter peractis, optamus ut eterna pace in domino quiescat. Sedit annis VIII,<sup>108)</sup> ossa ejus ab Italia Coloniam allata sunt et in domo beati Petri reuerentia condigna condita. Hic tres magos cum duobus martyribus Nabore et Felice, destructo Mediolano Coloniam transmisit. Reynoldus etiam cum imperatore profectus, parua manu militum XL milia Romanorum apud Tusculanum prostravit, cepit et fugavit. Ipse quoque apsens contra honorem sui inimicos Lodewicum Lantgrauium, Fredericum ducem Sweuie, Conradum palatinum, episcopatum demoliri cupientes, tanta multitudine virorum fortium et nobilium conuenire precepit in campis Andernaci, quantum ex Teuthonicis conuenisse nunquam nostra percepit memoria. Vnde prefati tyranni perterriti retro, vnde venerant, abierrunt. Et cum jam octo annis presul laudabiliter militasset, in vigilia assumptionis beate Marie virginis valida febre corruptus, prope Romam obiit, cuius carnes et viscera ibidem sepulta sunt, ossa vero in domum sancti Petri recondita.

Quadragesimus tertius Philippus de castro Heynsbergh<sup>109)</sup> natione, ecclesie sancti Petri decanus et imperii cancellarius. Vir pulcherrimus atque fortis, prudens et discretus, affabilis, magnanimus atque supra modum liberalis. Iste adhuc decanus existens, castrum de Ryncke ut supra dictum est, ex precepto episcopi Reynoldi, manu valida reedificauit et prefatos tyrannos fugavit; factus vero archiepiscopus, cum manu forti Saxoniam intrauit et Allostene<sup>110)</sup> obsedit, tota terra ducis Henrici depopulata, cum triumpho

<sup>105)</sup> decem marcas Eph. festum, M. — <sup>106)</sup> jussit, M. — <sup>107)</sup> Die Handschrift steht irrig: destrui. — <sup>108)</sup> Alle folgende bis zum Schlußsatz: et cum jam annis octo etc. fehlt bei M. Wahrscheinlich, weil es mit anderen Wörtern vorher schon größtentheils gesagt ist. — <sup>109)</sup> Homberg, M. — <sup>110)</sup> Alesenne, M.

et gloria redit. Ducatum Westphalie adjecit vel obtinuit Coloniensibus. Extunc duos ducatus habuit ecclesia Coloniensis. Emit preterea sancto Petro plurima castra. Qui cum Henrico filio Frederici imperatoris, quem Aquis vnxit in regem, profectus in Apuliam, obiit Neapoli. Cujus ossa delata sunt et honorabilius ceteris episcopis<sup>111)</sup> juxta episcopum Reynoldum, in domo beati Petri recondita. Sedit annis XXIII sub Frederico et Henrico imperatoribus.

Quadragesimus quartus Bruno de Altena major ecclesie prepositus. Hic electione, facta in Lotharium Bonnensem prepositum, minis nobilium cassata, quia idem Lotharius electioni de se facte, propter metum renunciauit, episcopus est factus, sicut superius dictum est de Frederico, cuius frater extitit secundum carnem. Iste debilis et senex renunciauit episcopatu et in habitu apud Dammborche<sup>112)</sup> defunctus est, cum sedisset sub Henrico imperatore anno vix vno.

Quadragesimus quintus Adolphus de Altena<sup>113)</sup> majoris ecclesie prepositus, quia filius fratris dicti Brunonis, ipso Brunone adhuc viuente successit. Iste Henrico imperatore mortuo, Ottонem comitem Pictauie, fauente papa Innocentio, Henrici quondam ducis Saxonie filium, de Pictauia euocauit, paucis sibi fauentibus episcopis vel principibus, Colone in regem elegit et Aquis coronauit et<sup>114)</sup> consecrauit, ceteris principibus Philippum, fratrem imperatoris, in regem eligentibus. Hinc per totum regnum graues et multiplices oriuntur guerre. Terra incendiis et rapinis et maxime Coloniensis archiepiscopatus deuastantur. Tandem Adolphus Coloniensis archiepiscopus, necessitate compulsus et, vt asserunt, quinque milibus marcarum corruptus, Ottонem deseruit et ad Philippum se transtulit et inconsulto papa, contra justiliam, Aquis in regem consecrauit. Vnde ipse ab Innocentio papa excommunicatus et (per) Siffridum Maguntinensem archiepiscopum et Cameracensem, a domino papa delegatos judices, in ecclesia sancti Petri in Colonia,

<sup>111)</sup> honorabiliter cum ceter. episc., M. — <sup>112)</sup> Daminberge, M. — <sup>113)</sup> de Altena fehlt bei M. — <sup>114)</sup> Coronavit fehlt bei M.

coram Ottone rege et vniuerso clero et populo, de dignitate pontificali deponitur, et ut alius eligatur indicitur. Sedit annis XII.

Quadragesimus sextus Bruno de Altena<sup>115)</sup> Bonnensis prepositus. Quo ordinato, ad instantiam<sup>116)</sup> Adolphi, Philippus rex offensus, cum exercitu Coloniam venit et eam obsedit. Et cum nihil proficeret, Nussiam profectus, eam in ditionem accepit et Adolpho archiepiscopo tradidit. Iterum anno sequenti Philippus rex episcopatum Coloniensem deuastare cepit. Cui<sup>117)</sup> Bruno archiepiscopus cum Ottone rege occurrere statuens, juxta Wassenbergh<sup>118)</sup> congressi sunt, ibique victoria Philippo cedente et Ottone fugato, Bruno archiepiscopus capitulatur vinculisque mancipatur, per annum in custodia detinetur. Quem tamen postea<sup>119)</sup> Philippus ad gratiam recipiens, Romam transmisit cum duobus cardinalibns, quos idem papa ad Almanniam,<sup>120)</sup> ad videndum Philippum et ad pacem confirmandam inter ipsum et Ottонem regem miserat. Postea occiso Philippo rege, idem Bruno cum litteris a sede apostolica reuertitur et ab omnibus<sup>121)</sup> cum honore suspectus, in breui defungitur et in domo sancti Petri cum planctu omni sepelitur. Sedit annis tribus.

Quadragesimus septimus Theodericus sanctorum Apostolorum prepositus successit. Hic in initio ordinationis sue bonus et utilis terre fuit, postremo contra clerum agens, inuisus et odibilis cunctis efficitur. Denique imperatore Ottono excommunicato ab apostolico, idem Theodericus, ideo quod sibi faueret, infamatus a Sifrido legato similiter excommunicatus est. Sed cum parui<sup>122)</sup> penderet et in cena Domini diuina celebrasset et crisma confecisset, ab eodem, secundum preceptum apostolici, officio destituitur. Qui<sup>123)</sup> Romam pro satisfactione progressus, cum jam per triennium ibidem exulasset, nec aliquid in causa sua profecisset, priores

<sup>115)</sup> de Altena fehlt bei M. — <sup>116)</sup> ad jus tantum, M. — <sup>117)</sup> cum, M. — <sup>118)</sup> Wassenberg, M. — <sup>119)</sup> quem tamen ille, M. — <sup>120)</sup> ad Almanniam fehlt bei M. — <sup>121)</sup> ab hominibus, M. — <sup>122)</sup> ista fehlt M. hingzu. — <sup>123)</sup> Unde, M.

Colonienses ad electionem alterius conuenire precipiuntur. Sedit annis quinque.

Quadragesimus octauus Engelbertus de Monte<sup>124)</sup> majoris ecclesie prepositus successit; qui cum episcopatum prius confusum in bonum statum restituisset, debita antecessorum suorum facta, per totum episcopatum, usque ad XXII milia marcarum collecta, persoluit. Fredericus rex pro imperiali consecratione Romam proficisciens, protractionem totius regni theutonici illi commisit et filium suum Henricum adhuc puerum illi commendauit, quem etiam Aquis in regem consecrauit.<sup>125)</sup> Tandem pace ubique stabilita, a Frederico comite de Ysenburch occiditur et in ecclesia majori sepelitur. Sedit annis X sub eodem imperatore.

Quadragesimus nonus Henricus de Molenarcke,<sup>126)</sup> prepositus Bonnensis, successit. Iste in vltionem sanguinis venerabilis domini Engelberti predicti, omnia castra comitis Frederici funditus destruxit ac suos heredes imperpetuum exheredauit et ipsum comitem, a quodam milite Baldewino de Genef dolose captum, duabus milibus marcarum et amplius eum redimens, foris muros Coloniensium, ante portam sancti Seuerini, in quodam monticulo columpnam lapideam erigi fecit, in cuius summittate dictus comes rotali pena perplexus,<sup>127)</sup> ad miserabile spectaculum cunctis transeuntibus positus est. Duo autem fratres supradicti comitis, scilicet Monasteriensis et Osnaburgensis episcopi, hujus sceleris concii, ad instantiam memorati archiepiscopi depositi sunt. Auctoritate etiam ipsius infra muros Colonienses<sup>128)</sup> adeo strenua pro quodam homicidio perpatrato facta sunt judicia, vt Theoderici de Molengassen dicti Sapiens<sup>129)</sup> ac totius sue parentele ac complicum suorum diruerentur possessiones, ac ipse Theodericus qui tunc temporis in ipsa ciuitate famosissimus fuit et potentissimus, cum omnibus coadjutoribus suis proscriptus, ciuitatem egressus est. Hec et alia multa, dicto archiepiscopo presidente, relatu digna

<sup>124)</sup> de Monte fehlt bei M. — <sup>125)</sup> unxit in regem, M. — <sup>126)</sup> de Molenarcke fehlt bei M. — <sup>127)</sup> plexus, M. — <sup>128)</sup> auctoritate — Coloniens. fehlt bei M. — <sup>129)</sup> Sapientis, M.

fiebant, que tamen ob ipsius nimiam simplicitatem, probitati ejus minime attribuebantur.<sup>130)</sup> Henrico archiepiscopo defuncto et in domo beati Petri sepulto,

Quinquagesimus primus<sup>131)</sup> electus est Conradus de Hoesteden sancte Marie ad gradus prepositus. Vir magnificus, qui ab ecclesia Romana priuilegium obtinuit, quod quicunque ab archiepiscopo Coloniensi in regem Romanorum eligitur et ab eodem inungitur et consecratur Aquisgrani, talis esse debet in possessione regni Romanorum,<sup>132)</sup> donec ipse per justam sententiam deponatur. Iste Conradus, Frederico de Scone<sup>133)</sup> imperatore et Conrado rege filio ejus, per Innocentium quartum ab imperio et regno depositis, elegit in regem Lantgrauum Thuringie cognominatum Raspe.<sup>134)</sup> Quo defuncto elegit alium, Wilhelmum comitem Hollandie et eum solemniter consecrauit. Quo rege a Frisonibus miserabiliter imperfecto, idem presul elegit regem tertium Richardum comitem Cornubie, fratrem regis Anglie, virum pre omnibus pecuniosum. Item idem presul comitatum de Hoesteden<sup>135)</sup> cum omnibus castris et terris sibi attinentibus, que<sup>136)</sup> eidem jure hereditario competebant, beato Petro Coloniensi tradidit et comitatum de Wede eidem ecclesie Coloniensi comparauit. Scabinos Colonienses omnes, propter multos excessus, quosdam relegauit exilio, quosdam diu justa in captiuitate<sup>137)</sup> tenuit. Cum Lymburgensibus in pace ecclesia reformata XXV<sup>o</sup> consecrationis sue anno, in domino<sup>138)</sup> sepultus est in nouo opere majoris ecclesie Coloniensis,<sup>139)</sup> in loco vbi presul ejusdem operis primum posuerat fundamentum.

Quinquagesimus secundus<sup>140)</sup> eligitur Engelbertus de Valkenbergh major prepositus. Vir utique pontificalis per omnia, qui vno die cum exercitu copioso ingrediens ciuitatem, non bono vsus concilio, scabinos, quos suus predecessor instituerat, destituit et quosdam ex ipsis captiuauit,

<sup>130)</sup> Der folgende Satz fehlt bei M. — <sup>131)</sup> primus fehlt bei M. — <sup>132)</sup> Regni Romanorum fehlt bei M. — <sup>133)</sup> de Scone oder Stone fehlt bei M. — <sup>134)</sup> Ruspe, M. — <sup>135)</sup> Hohstaden, M. — <sup>136)</sup> quod — competebat, M. — <sup>137)</sup> civitate, M. — <sup>138)</sup> obdormivit et M. — <sup>139)</sup> in ecclesiae majoris nova domo, M. — <sup>140)</sup> primus, M.

omnes portas ciuitatis hominibus muniuit, de superiori et inferiori porta duo firmissima castra facere dispositus. Sed communitas populi sentiens<sup>141)</sup> ex hoc seruilem fieri ciuitatem, vna die omnes portas recuperauit et antiquos scabinos, quos Conradus expulerat et captiuauerat, reuocauit. Qui scabini eundem presulem postea in palatio suo presidentem judicem captiuarunt. Ipse liberatus a captiuitate ciuium, cum Wilhelmo Comite Juliacensi, qui ciuitati adhesit in premissis, bellum campestre habuit, in quo captus, per tres annos cum dimidio vinculis detentus.<sup>142)</sup> Quibus exemptus, cum maxima potentia et solemnitate regem elegit et consecrauit, videlicet dominum Rudolphum comitem de Haebergh,<sup>143)</sup> qui dignissimus inter omnes imperiali corona, regnum quod diu vacillauerat, magnifice incepit reformare. Mortuus est autem Engelbertus consecrationis sue anno XIIIII et sepultus est in ecclesia Bonnensi, quia diebus illis ciuitas Coloniensis per tres annos cum dimidio fuit interdicta.

Post hujus obitum abbates, prepositi et decani priores, conuenientes in eadem ecclesia Bonnensi, die ad eligendum prefixa, dicebant se debere electioni pontificis interesse. Sed soli canonici majoris ecclesie, ceteris prioribus non admissis, omnes elegerunt postulando<sup>144)</sup> Conradum de Monte, prepositum sancte Marie ad gradus, defectum etatis patientem. Solus autem Petrus de Vienna, majoris ecclesie prepositus, elegit Siffridum de Westerbergh, prepositum Maguntinensem. His sic electis,<sup>145)</sup> dominus Gregorius papa<sup>146)</sup> decimus, in concilio Lugduniensi, Conradum cassauit et ecclesie Coloniensi auctoritate apostolica prouidit de Siffrido<sup>147)</sup> qui XX<sup>mm</sup> consecrationis sue agens annum, plurimorum fortunam prosperam et aduersam est perpassus. Qui prope Worinch<sup>148)</sup> in conflictu, quem habuit cum duce Brabantie,<sup>149)</sup> de Monte, Juliacensi et de Marca comitibus, ciuibusque

<sup>141)</sup> sentientes, M. — <sup>142)</sup> condentus est, M. — <sup>143)</sup> Rudolphum de Habsburg, M. — <sup>144)</sup> postulando fehlt bei M. — <sup>145)</sup> Hoc sic electo, M. — <sup>146)</sup> papa fehlt bei M. — <sup>147)</sup> Sigfrido de W. episcopo quinquagesimo secundo, M. — <sup>148)</sup> Hic prope Wernic, M. — <sup>149)</sup> Johanne et comite de Monte, ciuibusque Coloniensis, M.

Coloniensibus, captus est a comite de Monte Adolpho, qui subuehi consueuit in curru. Et ibidem<sup>150)</sup> interfactus est vir nobilis, dominus Henricus comes de Lucenburgh et alii quamplures nobiles et barones. Hic Adolphum comitem de Nassauwe elegit in regem et consecrauit Aquisgrani.

Quinquagesimus tertius dominus Wibboldus de Holte in Westphalia<sup>151)</sup> anno domini M<sup>0</sup>.CC<sup>0</sup>.XCVII<sup>0</sup>. in principio Maji decanus Coloniensis et prepositus Aquensis concorditer electus a capitulo in Nussia et a domino Bonifacio papa confirmatus. Rexit ecclesiam Coloniensem VII annis et infra<sup>152)</sup> guerram quam cum Euerhardo comite de Marcka habuit, Susati mortuus est et sepultus ibidem.

Quinquagesimus quartus dominus Henricus de Virnenburgh, prepositus Coloniensis, anno domini M<sup>0</sup>.CCC<sup>0</sup>.III<sup>0</sup>. electus est in Colonia, qui comparavit ecclesie Coloniensi Hilkerade castrum cum suis appenditiis,<sup>153)</sup> Volmesteyne quod postea tamen perdidit. Hic imperatorem Henricum de Lucenburgh elegit in regem et sacrauit. Qui post rexit ecclesiam Coloniensem XXV annis. In pace defunctus est et sepultus Bonne in ecclesia beatorum Martirum Cassi et sociorum ejus.

Quinquagesimus quintus successit Walramus<sup>154)</sup> frater comitis Juliacensis per papam Johannem XXII<sup>dam</sup> electus et per Adolphum episcopum Leodiensem in archiepiscopum consecratus. Hic cum esset nobilis et mitis, non per se, sed per quosdam alias episcopatum regebat, qui ipsum extra diocesim, modo in Francia modo in diocesi Leodiensi seu alibi latitare fecerunt. Qui postremo Parisius moritur et in ecclesia Coloniensi honorifice sepelitur.

<sup>150)</sup> Et apud eundem, M. — <sup>151)</sup> Wibboldus de Holte à Westph., M. — <sup>152)</sup> intra, M. — <sup>153)</sup> terrarum et praediorum, quod postea tamen perdidit, M. Volmestein ist übergangen. — <sup>154)</sup> praepositus Leodiensis, frater marchionis Juliacensis, ipso marchione in curia apud papam hoc procurante. Das folgende fehlt bei M. wo gleich mit dem Sage: Qui datus, Walr. archieps de Juliaco Parisii moritur a. d. M.CCCXLIX. et in Colon. in maj. eccles. sepelitur, geschlossen wird.

Quinquagesimus sextus dominus Wilhelmus de Gepe Canonicus Coloniensis succedit,<sup>155)</sup> cui papa Clemens sextus prouidit. Hic ad presens Coloniensi presidet Ecclesie.

<sup>155)</sup> Statt des folgenden heißt es bei M. Eodem tempore gravissima incepit mortalitas. Tunc etiam secta flagellatorum (Die Geißelbröder) discurrit.